



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De Cambio ad Nundinas. Caput V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

habere correspondentem, qui ibi solvat, & tamen de facto ipse non habeat, unde, nec stes promissis, nec solvat, non est mirum, quod iuste possum ab ipso hic exigere, quanti mea interfuit, pecuniam non fuisse solutam in eo loco: non est, inquam, mirum, quia tunc ejus fallax promissio fuit mihi causa talis damni.

Nota id verum esse, tum in hoc genere Cambii, de quo hic loquimur, tum de aliis, sive per literas, sive ad Nundinas, par enim est ratio, ut, si tu non stes mihi promissis, debeas mihi solvere damnum emergens, & lucrum cessans. Vide tamen omnino quæ mox dicam. *n*

a Infra c. 7

§. 1. n. 16.

§. n. 17.

§. III.

Quando tum Cambiario, tum Cambiari Cambium proficit, cujus erit lucrum?

1. Titius cupit habere Neapoli centum aureos v. g. quos tamen habet hic Panormi: Cajus autem cupit similia centum habere hic Panormi, quæ tamen habet Neapoli. Hi ergo invicem Cambiunt, & uterque obtinet, quod ipsis est utile, unde unus alteri æquè famulatur. Inquire, cujusnam erit lucrum ex tali Cambio?

b Mol. d.

405. Ca-

jetan de

Camb. c. 6

§. 7. Sil.

V. usur. n.

4. q. 8. §.

Secundo

Gar. c. 33.

de contr.

n. 5. Lop. l.

2. de contr.

c. 4. aliq.

apud Bo-

nac. d. 3. de

contrac. q.

5. n. 25.

2. Respondeo, fore illius, qui *b* prævenitur. Si enim Titius ad te Cajum veniat, ut Cambias illa centum, tuum erit lucrum, si ru ad Titium, lucrum erit Titii. Ratio est, quia, qui prævenitur, præstat alteri obsequium ex se æstimabile, & per accidens est, ut id aliunde vertatur in suum commodum. Sicuti (ait Molina.) Si Petrus v. g. deberet cum expensis equum, quem conduxit, remittere hinc Panormo Messanam, & Paulus indigeret equo, quo iter facturus Messanam sit, posset, qui prævenitur totum, & integrum pretium locati equi recipere, quia ei, qui prævenitur, solvitur justum illud pretium, quod est condignum illo obsequio à se exhibito.

3. Ex quo exemplo inferit idem Molina, quod sicuti, si Petrus sciret necessitatē Pauli querentis equum, qui illum Messanam portaret, & Paulus sciret necessitatem Petri volentis reducere equum Messanam, possent licitè simul convenire, ut vel gratis, vel cum aliquo lucro ex alterutra parte reduceretur equus, & quomodo eunq; conventio inter illos fieret, licita esset, quia neuter teneret.

celebrare contractum in alterius commodum, sed potest in suum; paritate in casu nostro, &c.

4. Quid, si ego indigens pecunia Neapoli, dem illam hic Panormi Nummulario, ut ipse meo nomine det ad Cambium Tertio, qui illam fortasse optat habere hic Panormi, daturus eandem cum legitimo lucro Neapoli, possumne licitè tunc ego ejusmodi lucrum Neapoli acquirere, ubi jam habebō pecuniam, quam optabam?

Respondeo, licitè posse, ut colligitur ex dictis, quia, quod immediatè tu potes, si immediatè præveniaris, & quod potes, si cum alio convenias, idem potes, si præveniaris, vel conventionem faciat ille Nummularius, qui tunc tuas vices gerit.

CAPIT V.

De Cambio ad Nundinas.

§. I.

De Cambio ad Nundinas absolute.

1. Mercatores certas quasdam Nundinas in aliquibus locis, seu Urbibus, instituerunt, ut ibi debita solvantur, vel contrahantur, & item, ut ratiocinia reddantur, & scribatur in libris dati, & accepti. Solent præsertim in Italia hæc Nundina fieri quater, singulis annis, spatio inter se distantes trium mensium, quod spatium datur, ut solutiones commodè expediri queant. Primæ dicuntur Nundina Apparitionis, & celebrantur circa festum Epiphaniæ. Secundæ, Paschatis, ineunte Majo. Tertiar, Augusti, eo enim mense sunt. Quartæ, omnium Sanctorum, quia, pauld post ejusmodi festum, celebrantur. Alicubi, ut Francofurti bis celebrantur has Nundinas, monet Lessius loco mox citando, nimirum circa Pascha, & circa Septembrem, nam propterea Cambium ad has Nundinas vocatur à Lessio Francofurtensè. Cum autem Cambia dicuntur fieri ad Primas, vel ad Secundas, vel ad Tertias, vel ad Quartas Nundinas, sensus est, quod solutio pecuniæ faciendæ est post tres, vel post sex, vel post novem, vel post duodecim menses.

2. Quid, si dentur pecuniæ hic, ut in eo loco fiat earum solutio, ubi Nundina non celebrantur?

Respon-

Respondeo. Tunc constituuntur quidam termini, & ita dicitur pecunia dari, & accipi ad Primos, vel Secundos, vel Tertios, vel Quartos terminos, id est, post tres, sex, novem, vel duodecim menses. Immo, quando non est magna locorum distantia, ut horum mensium spatium necessarium non sit, ad ferendas literas Cambii, constituuntur alii breviores termini, pro solutionibus faciendis: Et quidem sapientissime constituitur terminus, qui iudicatur sufficiens ad huiusmodi literas perferendas, incipiendo à die, quo fiunt literæ Cambii, aliquando verò incipiendo à die, quo literæ recipiuntur à correspondente, seu Procuratore Campfarii in hunc fere modum: *Post dies quindecim, vel post dies viginti, vel post mensem, &c. à receptione harum literarum, fiat solutio.*

3. Jam verò, si solutio fiat realiter, enumerata in Nundinis pecuniâ, certè, vel nihil, vel vix differret tunc Cambium à Cambio per literas de quo egimus in capite præced. Sed, quia in dictis Nundinis solutio transigi sine ulla numerata pecuniâ solet, datis nimirum tantummodo, & acceptis syngraphis, ideo peculiares inde emergunt difficultates, quæ propriam, atque solennem hic habent disputationem.

4. Hunc autem modum cambiendi, si nihil aliud addatur, vocamus absolute Cambium ad Nundinas; si enim eveniat, ut in loco destinato ad Cambium, ita fiat solutio, ut necesse sit, addere aliud Recambium, tunc vocatur Cambium cum Recambio, seu Cambium cum recursu, de quo in paragrafo sequenti, nam nunc solum statueri debemus, an hoc Cambium absolute ad Nundinas licitum sit. Et quidem licitum esse, tum mercatoribus, tum aliis privatis, modò adsint quædam conditiones, jam communis est opinio. Ratio est, quia aliquibus conditionibus, quas mox afferemus, adhibitis, non apparet, ubi sit iniustitia, & ex alia parte adsunt iusti tituli, unde acquiratur lucrum.

5. Duo igitur sunt explicanda. Primò, hi iusti tituli, quorum certè aliqui coincidunt cum allatis in paragraphis præcedentibus. Secundò, illæ conditiones, quarum item non pauca in sinuatae superius sunt, sunt etiam hic in suo proprio loco, claritatis gratia, breviter repetendæ:

Tituli justificantes lucrum Cambii ad Nundinas.

6. Primus Titulus est, quia Campfor erabit pecunia, quam tibi ipse tradit, post tres, vel plures menses, unde privabitur, etiam si non sit mercator, opportunitate, & libertate aliquid lucrandi cum illa pecunia à te reddenda, per alias fortè negotiationes sese offerentes.

7. Secundus est periculum, cui pecunia tibi à Campfore data exponitur. Et quidem, si pro longiore tempore data est, majora erunt pericula: Nam propterea tunc non propter meram temporis longitudinem, sed propter hæc pericula, & aliquid plus exiget non iustum Campfor. Quod si is habeat pignus suæ pecuniæ à Campfario, quod certè potest habere, quia quilibet negotiari potest cum omni sua cautela, & securitate; tunc non militabit hic periculi titulus, sed alii.

8. Tertius titulus est, quia dum interim expectatur solutio, plures possent esse, qui peterent Cambium, & pauciores, qui darent. Cum igitur ex majore numero petentium, & minore numero dantium crescat mercium pretium, b crescat etiam in casu nostro.

9. Quartus est trajectio actualis, vel, ut b Less. loc. hic communiter est, trajectio virtualis pecuniæ ex uno in alium locum. Neque dicas ibi non adesse pecuniam, nec illuc illam trajici, sed solum esse transactionem syngrapharum dati, & accepti, ne id (inquam) dicas; nam ipsa syngrapha continens creditum de pecunia, tanti, vel ferò tanti æstimatur, quanti ipsa pecunia, nam propterea ejusmodi syngraphæ credita continentes, appellantur, & sunt pecunia virtute, & æquivalenter.

10. Quintus titulus est, quia in loco, ubi fit dicta solutio, secundum majorem, vel minorem pecuniæ copiam, major, vel minor est ejus æstimatio.

11. Sextus titulus est, quia communiter in illis locis, ubi facienda est solutio, adest taxa valoris pecuniæ communiter recepta in illis Nundinis, vel in illo foro, quæ fit à Mercatoribus, omnibus circumstantiis expensis, vel certè ipso negotiantium usu comprobatur. Nam inde evenit, ut pro varietate circumstantiarum, aliquando majus, aliquando mi-

nus lucrum habeatur ex Cambiis. Cum igitur etiam privato liceat servare rei pretium, quod in communi foro currit, poterit quisque secundum hoc pretium acquirere lucrum, ut etiam supra notavimus.

12. Septimus ducitur ab expensis quas Campfor facit, conducendo, vel habendo alibi suum correspondentem, cui committat literas Cambii.

Conditiones adhibenda in Cambio in Nundinas.

Jam verò conditiones debent esse sequentes, puta omninò tres, tum pro locis, ubi non adest Bulla Pii V. mox citanda, tum pro locis, ubi adest: notant enim id, quod est de Jure naturæ. Aliæ verò tres pro locis, ubi illa fore recepta est.

Conditiones tres ex Jure Naturæ.

13. Prima conditio ex notantibus Jus naturæ est, ut non exigatur plus, vel minus ratione solius temporis, ut modo dictum est. Verum, quia dictum est, etiam sæpè lucrum Cambii non solere taxari, seu usurpari à justis negotiatoribus ex solo tempore, sed ex circumstantiis illis adnexis, ut ibidem vidimus, ideo hæc conditio apud bonos negotiatores deesse nunquam solet.

14. Secunda, ut re ipsa literæ de uno in alium locum transmittantur, quarum virtute fiat verè solutio pecuniæ, quæ recepta fuit in alio loco. Tibi v. gr. hic Panormi dedit Campfor pecuniam ad Cambium pro Neapoli, debes, vel tu, vel aliquis Procurator tuo nomine facere solutionem pecuniæ Neapoli: Si ergo non fiat ibi solutio, licet illæ literæ missæ fuerint, tamen cum redeant sine solutione ibidem facta, inanes redibunt, & siccæ, atque aded cum usura Campfor exiget lucrum Cambii, quia Cambium nunquam completum fuit, ut iterum in simili supra monuimus.

15. Tertia conditio maximè notanda, & circa quam sunt difficultates innumeræ, quæ materiam hanc de Cambiis celebrem, & satis ætate nostra exagitatam reddiderunt, est, ut Campfor sciat, vel rationabiliter existimet, Campsarium habere in loco, ubi fieri debet solutio, pecuniam, sive numeratam, sive in credito, quæ est pecunia æquivalens, habere, in-

quam, saltem apud suum Procuratorem, vel amicum, à quo; vel Mutuam, vel ad novum Cambium dictus Campsarius accipiat. Ratio convincens, in Cambio debere esse hanc conditionem, est manifesta, quia Cambium, vel est permutatio pecuniæ præsentis cum absente, vel Emptio pecuniæ absentis pretio pecuniæ præsentis, vel quid simile, ut supra diximus. Si ergo Campfor existimet Campsarium, nec habere pecuniam in se, nec in credito, nihil ipse Campfor permutabit, vel emerit, vel clara usura, vel clarum furtum, si aliquod lucrum Campfor sumat ex permutatione, vel Emptione, quæ nulla est. Lege Lessium num. 61.

16. Illud approbavimus supra: Si postquam Campfor bona fide dedit ad Cambium in locum aliquem, putans Campsarium habere, vel habere posse ibi pecuniam, deprehendat, se à Campsario esse deceptum, quia nullam ibi is habet, nec habere potest pecuniam, approbavimus, inquam, tunc justè posse ab ipso Campsario recipi in eodem loco, quo dedit, solutionem sui lucrisimò, & omniterese, quod fortè ipse Campfor est passus. Ratio est, quia tunc Campsarius tenetur ex fraude, quia finxit habere pecuniam in illo loco, unde Campfor deceptus fuit. Hanc doctrinam probabilissimam putat Bonacina, ^{ad Boeckl} licet ipse in aliquo refragetur. Verum, si sine palliata fraude procedatur, eam certissimam, ^{fract. 1.} ne dum probabilissimam, puto. ^{num. 14.}

17. Siste autem hic tantisper, Amice Lector. Ex hac vera nostra concessione fore debi solent aliqui, dum ex hac doctrina putant, se justè semper exigere posse dictum Cambii lucrum, quia nimirum Campsarius, id est, ille, qui recipit hic pecuniam solvendam ab ipso in alio loco, non est inventus in dicto loco v. gr. Neapoli habere pecuniam, nec item habere Correspondentem, qui solvat, imò, & aliquando inventus est ne literas quidem illuc missis; ubi, inquam, solent, quia non advertunt ad usum, quo ejusmodi Cambia fieri frequenter consuevere, Campsarius enim, & Campfor conveniunt, ut curam invenendi in loco distant pecuniam nomine Campsarii, & invenendi Correspondentem, & cetera necessaria ad verum Cambium, suscipiat Campfor. Si ergo hæc deficiunt, culpa Campforis deficiunt, non verò culpa Campsarii: Quare Campsarius non est condemnandus ad sol-

ad solvendum lucrum cessans, & damnum Camfors emergens, & cuius damni non fuit causa Campfarius, sed ipse Campfor.

Conditiones tres requisitæ, à Pio Quinto.

18. Progrediamur jam ad alias conditiones tres requisitas à Bulla Pii Quinti, quam tamen Lessius non putat, aut paucis in locis esse receptam, aut certe nusquam, quoad conditiones, quæ de Jure naturæ non sunt, ut supra in simili, tanquam probabile, dictum à nobis est.

19. Prima conditio est, ut non fiat pactum ab initio de certo interesse, etiam in casu, quo non fieret solutio tempore præfixo. Certo, inquit, non ergo Pius prohibet pactum de lucro incerto solvendo, quod postea deprehenderetur dandum ex interesse, quod passus est Campfor ex non soluto Cambio. Imo aliqui dicunt, non solum, ubi non est recepta, sed etiam, ubi est recepta dicta Bulla Pii V. posse fieri pactum de determinato lucro ad arbitrium prudentis (vide omnino e infra) cum Bulla solum prohibeat, fieri ad arbitrium Campforis, qui amore lucris affectus errare posset. Et certe, quando Campfor caret experientia, vel rebus suis nimis inhiat, de Jure naturæ est, ut ejus arbitrio nequaquam stetur.

20. Secunda, ut non possint fieri Cambia, nisi pro primis, seu proximis Nundinis, ubi Nundinæ celebrantur, vel primis Terminis (ut mox num. 22. clarius explicabo) ubi Nundinæ non habentur. Id autem prohibetur, quando ratione magis distantis termini augetur lucrum Cambii; nam, si non augeatur, & tamen longius tempus pro faciendâ solutione concedatur, certe gratiam Campforio faceret Campfor.

21. Quod si quis, ut notat Lessius, plus exigeret, dando ad secundas Nundinas, quam dando ad primas, exigeret, inquam, plus, non ratione ipsius meri longioris temporis, sed ratione veri interesse, quod tunc pateretur, non esset ad restitutionem condemnandus, etiam in locis, ubi recepta est Pii V. Bulla, saltem ante sententiam Judicis, quia ob veram titulum in conscientia tunc exigit: nam si exigeret ratione solius temporis, etiam de Jure naturæ, esset condemnandus, ut dictum est in superioribus sæpè.

22. Tertia denique est, ut in terminis solutioni præfigendis, habeatur ratio longin-

quitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio est faciendâ, ut scilicet plus possit lucrari Campfor, si debeat numerate pecuniam in lucro magis distante, quam in loco distanti minus. Ubi vides, hic non agi de Nundinis, quæ semper fixæ in suis locis sunt, nisi forte tangatur difficultas, quæ ponetur mox numero sequenti; sed agitur de aliis locis, ubi non sunt Nundinæ; si enim cambias hic Patnormi, ut fiat solutio Messanæ, ad quam Messanæ Urbem perveniri potest tempore quinque dierum verbi gratia, cur ponis terminum solvendi post duos menses, & vis acquirere illud lucrum, quod acquireret in Nundinis, quæ sunt longè distantes, seu quod acquireret ille, qui subit pericula duorum mensium, expensasque facit, quæ solent fieri, quando transfertur pecunia in locum magis distantem, itinere verbi gratia dictorum duorum mensium? Id certe, etiam de Jure naturæ, vetitum est. Quod si lucrum in hoc casu non augeas, tunc non erit illicitum, immò gratiam facies. Campfario modo dicto numero præced. Præterea, nec item erit illicitum, e velle lucrum, quod solet haberi in Nundinis, si locus solutionis est æquè distans à Nundinis, & credatur probabiliter in loco, ubi solutio sic faciendâ, æqualiter valere pecuniam, ac valere in Nundinis.

23. Inquires. Campfores statuere consueverunt, lucrum ex cambio eo majus esse solvendum, quo longius est tempus, ad quod Cambium datur, etiam in ordine ad primas ipsas Nundinas, ut, si primo mense dent pecuniam ad Cambium solvendum in proximis primis Nundinis, plus lucri exigant, quam, si dent Secundo, vel Tertio mense, ne licitum est?

24. Respondeo. Non pauci putant esse illicitum, quia sic habetur ratio brevioris, & longioris temporis, quod proprium est usu-
 ræ. Sed g. Molina, aliique cum magna probabilitate ajunt, esse licitum, quia in longiore tempore majora sunt pericula, diutius Campfores privantur sua pecunia, qua negotiari possent, & lucrari, & major est numerus, qui in simili dictum est supra, non igitur solum ratione meri temporis, &c. Et quidem cum illud sit pretium justum rerum, quod bona fide Periti statuunt, præsertim consuetudine sic seita, & tolerata, ideo non sunt prædicti Campfores condemnandi.

c. Bonre. de
 contr. d. 3.
 q. 5. nu. 13.

f. Lop. l. 2.
 de contr. 1.

g. Molin. d.
 4. 404.
 Less. l. c.
 du. 6. &
 du. 11.
 Cajet. de
 Cam. c. 7.
 Philiar. l. 5.
 25. In- c. 24. n. 2.

25. Inquires iterum. Dictum est, ut Cambium hoc sit licitum, oportere, ut illae tres conditiones concurrant, quas diximus à num. 13. Quo modo igitur, se geret vidua, vel homo non multae literaturae, qui has non discernit, & solum dat alteri pecuniam suam ad Cambium?

26. Respondeo. Haec praxis, quae maxime hic est cognita necessaria, explicatur inferius. *a Infra §. 5 nu. 6. & iterum §. 7*

§. II.

De Cambio cum Recambio, seu Recursa.

1. **P** Praxis hujus Cambii (quod Bisuntinum, vel Placentinum apud Lessium *b Less. l. 2. c. 23. n. 59.* appellatur) nostro aëvo frequentissima, hujusmodi est. Titius Camfor hic Panormi verbi gratia dat Cajo centum aureos solvendos ab eodem Cajo in proximis Nundinis Placentiae celebrandis, vel in aliquo Italiae, vel Siciliae loco. Quoniam verò Cajo nemi- nem habet Placentiae, vel in illis aliis locis, qui ejus nomine solvat, quod ipse Cajo debet; ideo Titius offert eidem Cajo suum Correspondentem, nomine verbi gratia Sejum, residentem in illis locis, offert, inquam, ut, si- cuti est Correspondens Titii cum omni po- testate ipsi Sejo concessa ab eodem Titio, ita in hoc negotio, ut sit etiam Correspondens Caji, & solvat Cambium, id est, dictos cen- tum aureos cum lucro ibi apud Mercatores, seu apud forum decerni solito: Sit autem hoc lucrum nunc verbi gratia aureorum quinque. Acceptata oblatione, scribit ad Se- jum Titius, nomine utriusque, puta ejusdem Titii, & dicti Caji, ut scilicet Sejus acceptet creditum Titii, & debitum Caji, & ut cor- respondens jam Caji, solvat Cambium, ejus- que lucrum, id est, centum, & quinque au- reos, & ut Correspondens Titii eos aureos recipiat, & sic extinguatur Cambium. Sed, quia Sejus, ut correspondens Caji pecuniam non habet; ideo ipse idem Sejus, ut cor- respondens Titii, seu Titii nomine offert, & dat illam pecuniam sibi eidem, ut Cor- respondentem, seu Procuratori praedicti Caji, dat, inquam, ad Cambium, quod certe erit secundum Cambium, seu, ut loquimur, Re- cambium solvendum à Cajo Panormi. Cum accepta ergo hac pecunia Sejus, ut correspon-

dens Caji, extinguit, seu solvit, ut dictum est, praedictum Cambium primum Panormi ce- lebratum, ita, ut nihil omnino amplius debe- at, pro dicto primo Cambio, Cajo. Lege Les- sium, qui rectè notat, si dictus Sejus fugeret, vel decoqueret, Camforum Titium non pos- se agere nomine suo contra Camforium Ca- jum; is enim Cajo jam solvit Cambium ipsi Camfori Titio.

2. Quoniam verò dictum secundum Cambium parere suum lucrum debet, quod erit verbi gratia aliorum quinque aureorum, qui solvendi erunt à Cajo Panormi, ideo Ca- jus debet Panormi solvere Titio centum, & decem aureos, id est, centum ex primo capita- li, quinque ex lucro primi Cambii extincti Placentiae cum pecunia habita à Procuratore Titii & quinque ex lucro Cambii extinguen- di Panormi ab eodem Cajo.

3. Suppono, ad Justitiam secundi Cambii, Cajo, seu sejus Procuratorem non cogi ad dictum secundum Cambium, posset enim Cajo, seu ejus Procurator extinguerè pri- mum Cambium pecunia praesenti sine neces- sitate sumendi Recambium, vel certe posset sumere Recambium ab alio, quam à Cor- respondente Titii.

4. Solet autem occurrere, ut Cajo, in Pa- normi quidem, promptam eam summam ha- beat, quam debet Titio, unde rursus totam il- lam eandem summam, ac, si iterum illam ac- cepisset à Titio ad Cambium, se, obligat sol- vere cum suo lucro iterum Placentiae, vel ali- bi, ut rursus fiet, quod modo num. 1. diximus, & sic continuatur per multos aliquando an- nos Cambia, & Recambia, donec re ipsa, & numerata pecunia totum capitale cum omni- bus lucris incurrentibus solvat Titio Cajo, nam propterea Mercatores hoc appellant eti- am Cambium cum Recursa, recurrit enim, unde incaperat. Et adverte permaximè, to- tum hoc negotium, praeter primam traditio- nem illorum centum aureorum Cajo à Titio numerato datorum, & praeter ultimam hanc solutionem, quam numeratam denique fieri oportebit, tractari, & expediri per solas syn- graphas, seu per acceptationes, & dationes crediti, & debiti, quae in libris dati, & accepti scribantur.

5. Quæret is, qui hanc quaestionem intro- spicere cupit: Quando Sejus extinguit pri- mum Cambium Placentiae, quodnam est prius

pride: Quod Sejus, ut correspondens Caji solvat, dicta centum, & quinque sibi ipsi, ut vicem Titii tenenti, an, Quod idem Sejus, ut correspondens ejusdem Titii, det summam illam sibi, ut correspondenti ejusdem Caji ad novum Cambium finiendum postea Panormi? Breviter quodnam est prius extinctio primi Cambii, an institutio secundi?

6. Respondeo, certè in praxi (ut puto) ne à peritis quidem Mercatoribus id advertitur: Ipsi enim solum in libris ratiocinorum scribunt rationem dati, & accepti, idque etiam in eadem hora, ne dicam in eodem temporis momento. Ceterum quid prius, quid posterius nobis Theologi relinquunt considerare, nam ipsi pro conscientia satis habent, si intelligant, se meliori modo, (quo licite possunt) solvere primum Cambium, & instituere secundum: Theologi autem non pauci, vel de hoc valde implicite loquuntur, vel certè potius id supponunt, quam declarant. Nos ergo pro nostra virili parte sic discurremus.

7. Puto, posse utcumque dici, quod sit prius solutio primi Cambii, quam institutio secundi, sed expeditius dici, quod sit prior institutio secundi Cambii, quam primi Cambii solutio: qui certè posterior modus, quam faveat justificationi cambii, ex infra dicendis clarè colligetur.

8. Prius igitur solvetur cambium primum, quam instituat secundum, si Sejus, correspondens Titii, per actum suæ voluntatis, verbo, vel scripto ostensum, habeat, quasi per Acceptilationem, pro solutis, illos centum & quinque aureos debitos à Cajo; sic enim jam nihil amplius debet Cajo pro primo cambio, quia jam est illi remissum à parente illud remittere, nempe à Sejo, qui tota Titii potestate gaudet. Esto deinde, quod Cajo, seu Sejus nomine Caji, qui talem remissionem accepit, velit illam veluti ex gratitudine retrodonare, & instituere secundum cambium ad illam totam pecuniam solvendam. Ita videtur discurrere Naldus.

9. Contra. Posterius finietur cambium primum, & prius instituetur secundum cambium, si Sejus, qui accepit creditum Titii & debitum Caji, nunc, ut correspondens Caji, accipiat centum illos, & quinque aureos, ad Recambium Panormi cum suo lucro solvendum, accipiat, inquam, à seipso, ut correspondente Titii, & cum illis sic acceptis, extinguat

Tamburinus de Sacramenti,

cambium primum: Ecce quomodo antecedit Recambium, nam cum hac summa habita per dictum Recambium, ipse, ut correspondens Caji, solvit primum cambium sibi ipsi, ut correspondenti Titii. Hunc modum nos insinuavimus num. 1. eundemque insinuat Lessius b in iis verbis: Sufficit, quod Campsarius pos. b. Lessius l. sit habere Correspondentem, qui ibi eas pecunias c. nu. 61. det mutuo, vel ad Cambium. Eundem modum c. Delugo supponit Delugo, c. eundemque innuere vi. de Inst. d. datur alii Theologi, & merito: nam prior 23. nu. 85. modus suas habet difficultates, quas à infra 86. 87. & breviter afferemus.

§. III.

Decernitur, an hoc Cambium cum Recambio licitum sit?

1. Quamvis & multi dicant, esse illicitum: Multi s. tamen, & satis probabiliter Coninc. (quos ego sequor) licitum esse, docent cum ap. Delugo explicatione danda mox paragr. quarto. Pro. l. c. n. 77. batur, quia, si Cajo campsarius haberet Merend. Placentiæ aliquem amicum, qui ibi solveret ap. Dianā cambium contractum Panormi, esset justum p. 9. Tr. 8. cambium, ut supra vidimus; ergo etiam, si ref. 67. solvat Procurator, seu correspondens ejusdem f. Nan. Cōf. Caji. Certè, si Cajo, & Titii ipsi iidem se 31. de u. Placentiam conferrent, possent ibi per se sur. n. 3. ipsos totum hoc negotium licite absolvere: referēs ita quis enim id negare potest? Cum ergo id, sensisse vi- quod per seipsum quis facere potest, possit rū quendū per legitimum Procuratorem, poterunt Ti- Doctiss. So- tius, & Cajo in casu nostro, per Sejum Pro- ciet. Iesu- curatorem utriusque, idem efficere, nam, Boninsig. quod idem sit Procurator Caji, & Titii non c. 7. de vitiat contractum; cum sæpissimè idem pos. Cambiis à sit sustinere vices duorum in contractibus, n. 7. Sà V. & idem possit esse Procurator multorum, cambium. nec duorum dumtaxat: Sicuti autem, si præ- Diana & dictus Sejus esset Procurator Petri, & Anto- p. 3. tr. 8. d. nii posset ad mandatum horum, & recipere, ref. 1. & p. & solvere pecuniam aliquo titulo, videlicet 5. tr. 8. ref. ex Censu, alteri ex his debitam, & tunc reali- 67. Less- ter fieret vera solutio, quamvis non numera- lib. 2. c. 23. retur pecunia, sed solum transferretur debi- n. 61. De- tum, & creditum in libris dati, & accepti, ut lug. l. c. Italicè dicimus; Passar le partite: ita in casu nostro, &c.

2. Non igitur solutio est ficta, ut putant Adversarii, sed vera, & realis, unde, & cambium erit reale, & non fictum. Nec solutio

CCCC

CUM

eum lucro cambii facti Panormi solvitur in eodem loco, id est Panormi, quod esset usura, sed Placentiæ, ubi finitur primum cambium, & pari modo recambium factum Placentiæ, non solvitur Placentiæ, ubi institutum est, Panormi.

3. Nec obstat, quod in hoc cambio, cujus natura, ex meliori opinione, assimilatur contractui Emptionis, & Venditionis, nihil adfit, quod ematur, quia deberet emi pecunia absens, id est, quæ sit Placentiæ; ut dictum est supra, at ibi nulla pecunia est Caji, sed solum in Codice, & libro rationū transferuntur credita, & debita; non obstat, in quâ, nam falsum est, quod non adfit aliquo modo pecunia, ipsa enim literæ, seu chirographa, seu libri, qui continent credita, tanti, plus minus valent, quanti ipsa pecunia numerata, nam propterea potest dici, ibi adesse pecuniam, sed verò virtualement, seu æqualitatem, & quæ sufficientissima sit, ad veram solutionem faciendam.

4. Nec item obstat, quod Campfarius videtur obligati, sumere pro suo correspondente illum ipsam hominem, qui est correspondens campforis, non, in quâ, obstat propter duas rationes. Primum, quia ad hoc non cogitur campfarius, ut notavimus supra, immò addo, sic campfario fieri Beneficium, dum promptè ipsi offertur à campfore correspondens in loco, ubi campfarius difficillime illum inveniret. Ita Lessius loco citato, num. secundò.

Secundò, quia, etiam si cogeretur, illi non fieret injuria; quilibet enim est Dominus, & arbitri suæ rei, & quilibet habet Jus apponendi conditiones, quas vult, dummodo non sit contra naturam contractus, quem celebrat, ut certè hæc non est, & dummodo, si conditio addat aliquod onus, illud compensetur, ut sanè in hoc casu, de quo loquimur, compensatur, nam audio, de facto semper aliquid diminui de pretio debito campfori, scilicet octavam quandam partem, quam partem octavam libenter minuit campfor, quia suæ utilitati cedit, quod campfarii se obligent ad sumendum eundem correspondentem, qui est campforis.

5. Quæres hac occasione Primò. Quanta merces datur his correspondentibus, seu Procuratoribus pro labore, & industria, quam adhibent in cambiando aliorum nomine, & in scribendo, numerando, mittendo literas, &c.

Respondeo apud Belugo lego, in singularibus Nundinis solere dari tertiam partem auri d. 12. de provisionem, quam Provisionem vocari, supra diximus, quod ferè coincidit cum dicto Lessii b. asserentis solere dari binos, vel ternos auros in singulos Mellenarios.

6. Quæres Secundò. Quænam est utilitas, quæ nascitur campfori ex eo, quod campfarius acceptet pro suo correspondente eundem, qui est campforis?

Respondeo. Prima utilitas est, ut suo Amico, seu correspondenti accrescant salaria, seu pensiones ex his novis negotiis, quæ ille suscipit in gratiam campfariorum.

Secunda utilitas est, quia deinde, in vicem, quod simile committet fortè correspondens Placentinus huic mercatori Panormitano, & ita hic Panormitanus lucrabitur suas similes Provisiones.

Tertia utilitas est, ut ille correspondens habeat multa credita ex Recambiis, per quæ multis fortè debitis mercatoris Panormitani satisfacere possit.

Quarta, ne alii, qui campforis familiares non sunt, cognoscant rationem negotiorum ipsius campforis, quod permaximè caveat prudentes mercatores.

Quinta, ne se campfor exponat periculo decoquendi, si non tutum habeat correspondentem, sicuti tutum cognoscit suum.

§. IV.

Quandoquidem tribus modis Cambium cum recambio celebrari potest, approbatur primus, & secundus, sed r. probatur tertius.

1. **A**stero Primò, licitum esse cambium cum Recambio, si supponas, prædictum Procuratorè Sejum habere pecuniâ propriâ, vel credita propriâ, vel habere apud se pecuniâ Titii campforis, vel credita alia exigibilia ejusdem Titii, alia, inquam, præter dictum creditum ex primo cambio, nam, quando non adest, nisi hoc creditum, dicitur mox nu. tertio de quibus Sejus disponere possit (quæ sunt pecuniæ virtuales,) & idem Sejus det Cajo, seu sibi ipsi, ut correspondenti ejusdem Caji totum illud pecuniâ, quod necessarium est ad extinguendum primum cambium, det, inquam, vel mutuo, vel ad novum cambium, seu, quod idem nunc est, ad Recambium Panormi.

Panormi solvendum; qua pecunia actuali, vel virtuali, id est credito per dictum Recambium, vel mutuum, habito, solvat Cajus, seu extinguat primum Cambium, solviturus Recambium, seu mutuum postea Panormi, Assero, inquam, hunc modum cambiendi esse licitum. Ratio est, quia tunc jam habet Cajus, seu Sejus, ut Caji correspondens, pecuniam, sive actuale, sive equivalentem, seu virtuale (ratio enim; ut saepe diximus, sunt credita illa exigibilia) qua ipse solvit primum Cambium. Quoniam autem primum Cambium modo dicto solutum, justum est, sequitur, quod etiam sit justum Recambium, id est Cambium secundum, quod solvetur postea Panormi; & etiam sit justa omnia Recambia, quae modo supra dicto sine fraude continuabuntur, quia eadem condiciones profus haec continuata Recambia habent, quae habet primum Cambium, ut supponimus.

2. Assero Secundò, esse etiam, immò multò magis, licitum, si supponas Campsarium, id est Cajum habere amicum nomine v. g. Antonium, Placentiae, qui Antonius cum habeat, unde solvat, literas pro ipso Cajo acceptet, & solvat. Ratio est clara, nam; qui per amicum solvit, satis dicitur solvere per se ipsum. Atque idem erit, si ad Antonium non scribat Cajus, sed scribat Titius Campfor dicens, ut sub sua fide Antonius acceptet, solvatque Cambium Sejo correspondenti ipsius Titii. Ratio est, quia pari modo tunc solvit Cajus per alium; id, quod est perinde, ac per se ipsum solvat.

3. Haec duo dicta jam sunt aetate nostra, vel satis certa, vel satis probabilia, (quamvis sciam, nonnullos citatos paragr. praeced. n. r. mordicus priori dicto contradixisse) unde sequitur, ut Cambia, & Recambia usurpata altero ex his modis dictis *num. primo, & secundo* justè, & licitè apud bonos negotiatores extiteri possint. Ita Doctores citati dicto §. praeced. num. 1.

Jam verò maxima difficultas est, An sit etiam licitus tertius alius modus; Quando scilicet praedictus Sejus correspondens utriusque, scilicet Caji, & Titii nihil aliud habeat, nisi ipsum creditum Titii contra Cajum.

4. Et difficultas consistit in eo, An tunc Cajo possit Sejus vendere, vel mutuare, vel ad Cambium, solvendum Panormi, dare il-

lum creditum, quod certe etiam, & ipsum est pecunia virtualis, sicuti cetera alia credita, qua virtuali pecunia habita, vel per emptionem, vel per Recambium, vel quocunque simili tandem modo à Cajo, idem Cajus, seu Sejus, ut Caji correspondens, solvat primum Cambium, illudque extinguat, sicuti modo n. primo extinguere idem Cambium potuit Sejus, mutuando, vel dando ipsi Cajo ad Recambium, credita, quae erant alia ab hoc credito primi Cambii, quod nunc primo solvendum, seu extinguendum est Placentiae.

5. Et quidem aliqui, quos non nominat Delugo, & affirmant, licitè posse, Primò, a Delugo quia etiam illud creditum est pretio aestimabile. Quare sicuti illud posset vendi, mutuari, dari ad Cambium aliis, sic poterit Cajo, seu ejus Procuratori: quo habito, quasi habita pecunia, poterit Cajus primum Cambium solvere.

6. Secundò, quia Sejus Procurator Titii, posito, quod in sua potestate est hoc creditum, de quo disponere potest, jam habet fidem, qua tantundem ab alio Tertio mutuari posset; ergo jam est potens dare Cajo pecuniam, quae non sit ipsummet creditum, quam potentiam satis esse, docet Lessius, *l. ad b. Less. lib. 2. c. 23.* justificandum hoc Cambium.

7. Verum ipse Delugo, e cum quo sentio, n. 61. & Patres Sacrae Congregationis apud eundem, nolunt, id tanquam licitum admittere, *l. c.* Ratio potissima breviter est, quia, quamvis ejusmodi creditum contra Cajum possit aliis vendi, vel dari ad Cambium; non tamen potest ipsi Cajo debitori, seu, quod nunc idem est, praedicto Sejo, qui est correspondens dicti Caji debitoris. Id autem probatur facile, nam ex hac donatione, seu venditione confurget in Cajo Jus Justitiae ad seipsum, quod est impossibile, cum Justitia essentialiter sit ad alterum. Sequela probatur, quia sic Cajus emeret creditum contra seipsum; emeret enim Jus exigendi illam pecuniam à se ipso; ergo confurget Jus Justitiae contra se.

8. Quod si dicas, emere ejusmodi creditum, nihil aliud esse, nisi ipsi Cajo remitti debitum, sanè tunc aliud fortius argumentum sic urgebit: Emerere hoc creditum nihil est aliud per te, nisi remitti à Creditore debitum, seu haberi illud pro soluto. Ergo, si hoc jam est solutum, seu extinctum debitum

cambii, nihil postea poterit solvi, seu extingu-
gni, quia jam supponis per hanc remissionem
omne debitum esse solutum & extinctum :
non poterit enim solvi, quod jam antea solu-
tum fuit.

9. Confirmatur, quia cambium est essen-
tialiter permutatio pecuniæ cum pecunia,
ergo duplex intervenire debet pecunia, sive
realis, sive saltem virtualis, seu in credito, ni-
mirum altera, quando, altera, quam recipio;
sed in casu nostro unum est creditum, atque
adeo una pecunia; ergo tunc non permuta-
bitur una pecunia cum alia, ergo non erit
cambium; ergo neque hæc remissio erit solu-
tio cambii.

10. Dices: Esto hæc sit mera possessio, at-
que adeo non sit solutio vera cambii: satis
nobis est, quod jam per dictam remissionem
extinguatur primum cambium; hoc autem
extincto, accipiet immediatè postea Cajus,
seu Sejus, ut Caji correspondens pecuniam ad
secundum cambium, seu ad Recambium sol-
vendum Panormi, nam volet voluntariè ex
gratitudine solvere capitale, & lucrum primi
cambii, licet sibi immediatè antea remissa,
quæ est doctrina Naldi allata à nobis supra
paragr. secundo, nu. sexto.

11. Respondeo, id speculativè aliquo tan-
dem modo defendi posse, non adeò sum he-
bes, ut non videam: tamen negare non potes,
esse difficillimum, & incredibile, ut ejusmo-
di modus letio, & non palliatè ad regendam
visuram fiat; nunquam enim mihi persuadebis
mercatores, seu campforem suo inhiantem
luero, seu Sejum prædictum nomine camp-
foris, ex vero animo remittere totum credi-
tum. Nec item mihi persuadere poteris, ino-
pem campfarium velle retrodonare pecuniã,
quæ sibi remissa est, quamque immediatè
antea, ut sibi remissam acceptarat, velleque,
se constituere debitorem ejus pecuniæ, cujus
solutio ipsi condonata jam fuit.

12. Ad rationem contrariæ opinionis alla-
tam nu. 5. jam patet, quia illud creditum est
vendibile alteri, non verò ipsi Cajo debitori.

Ad allatam verò nu. sexto, facile respon-
detur, nam esto, possit dictus Sejus mutuo
accipere ab aliis, at de facto non accipit, sed
vendit, seu dat Cajo illud ipsum creditum,
quod habet contra eundem Cajum: id, quod
jam inane profus esse ad effectum, de quo
loquimur, probatum est. Lessius ergo dicto

nu. septimo allatus, si admittendus est, debet
intelligi sano modo, nimirum, quod sufficiat
posse pecuniam mutuari, sed cum effectu, ut
scilicet ipsa mutuetur.

13. Verum objicies contra hanc doctrinam
nostram sic. Multi Doctores vocant proba-
bilem opinionem affirmantem, cum uno illo
credito posse exhiberi totum hoc negotium,
multò magis, quia hæc sententia dicitur ap-
probata à Pio V. pro Bononiensibus, ergo
non est, cur illa rejici, etiam in praxi possit.

14. Respondeo. Nec Pius Quintus, nec
Doctores, qui nominatim citantur pro sen-
tentia affirmante loquuntur de nostro casu,
sed expressè de casibus, seu modis cambiendi
numero primo, & secundo allatis, eosque so-
lum approbant Doctores, quos ego legere
potui: Quare nihil contra nostram Doctri-
nam evinci auctoritate illorum potest. Verba
aliquorum ex iis in medium proferantur.

15. Et quidem incipiamus à verbis Pii V.
quæ, ut Italicè fuerunt data ad Bononienses,
ejusmodi sunt: *Che ogni persona possa dar dan-
nari à Cambio, e fare, che le lettere siano recapita-
tate sopra essi datari, e così tenerli su à Cambii,
fin che saranno rimborsati da chi haaveri à preso
i danari.* Hæc Pius. Qui approbat quidem
cambium, & Recambium, sed nihil statuit de
modo cãbiendi, sive de primo, sive de secundo,
sive de tertio paulò ante à nobis insinuat; id
enim reliquit Theologis discernendum.

16. Quoad Doctores, sufficiat afferre
verba trium, qui magis apparenter alicui vi-
deri possent esse contra nos. Primus quasi
agmen ducens sit Lessius. a Verum ejus verba
sunt hujusmodi: *Si hoc Cambium esset injustu-
id ideo esset, quia Campfarium non habet pecunias
eo loco. At sufficit, si habeat in credito apud Ami-
cum, qui eas ibi det mutuo, vel ad Cambium, ut
rectè docet Navarrus.* Hæc ille. Notas? in
Credito, dicit, apud Amicum, qui eos det mutuo,
nunquam verò dicit, in eodem credito.

17. Secundò, solet citari Marcus Serra. b b Mart.
At ipse sic habet: *Probabile est, licitum esse cam-
bium, quòd dirigatur ad locum, ubi Campfarium, in 2. 2. f.
nec ullam pecuniam, nec fidem, nec correspon-
dentem, aut Procuratorem habet, sed campfor
exhibet campfarium suum Factorem, qui pro illo
respondeat, & solvat ex pecuniis ipsiusmet camp-
foris, & postea eandem pecuniam per aliud cam-
bium remittat, &c.*

Vides? Nihil de nostro casu circa illud
unum

num creditum, nam ex pecuniis ipsius Campforis, dicit, qui est primus Cambiendi modus allatus, & approbatus à nobis n. 1. non vero dicit, ex illo solo credito, qui est tertius Cambiendi modus à nobis n. septimo reprobatus.

18. Terriò, citant aliqui à Dianam. Sed ejus verba dicta primæ partis, sic leguntur. Si Campfor mittat literas ad proprium Factorem, quibus mediantribus, ex pecunia sua, vel aliena Factor ille Cambium ab ipso factore collatum persolvat, debito illo per alias literas ad eundem rursus remissio, cur non licebit eidem Campfori, ut ex sua propria pecunia illud similiter persolvatur?

Hæc ibi. Deinde vero in dicta parte nona loc. cit. eandem doctrinam ita confirmat, ut profus nihil aliud addat præterea: proponit enim in hunc modum: An licitum sit Cambium, quando Responsor ex pecuniis ipsius Campforis extinguit primum Cambium, modo, quo dictum est in prima parte? Et sic respondet; Negativam sententiam probabiliorum esse existimavi loco citato, & consulendam: affirmativam tamen probabilem esse dixi. Hæc ille. In quibus locis nihil de casu, de quo nos loquimur.

19. Dices, ergo Diana b sibi ipsi repugnat, nam alibi docet, Correspondentem Campforis posse esse pauperrimum. Si ergo potest esse pauperrimus, nihil aliud habebit, nisi unum illud creditum Campforis, quo scilicet totum hoc negotium expediendum sit.

20. Respondeo, Dianam sibi non esse repugnantem, nam statim addat, Dummodo substantialia supradicta Cambii ratio Correspondens efficiat, literasque mittat, & alia necessaria faciat. At supra, tanquam necessarium, poscit, ut Correspondens, saltem pecunia Campforis, vel ab altero mutuata, solvat primum Cambium; quo pacto vides, ipsum correspondentem posse esse. Imo pauperrimum, nam non propria, sed aliena pecunia (at certe nunquam ex illo uno credito) extinguere primum Cambium poterit.

21. Hæc pauca sufficiant, ut diligenter adverteas, hominem Theologum, qui questionum apices non desiderat, nec accuratè distinguit, facile labi; dum, quod unum legit probabile, confundit cum alio, quod ejusmodi fortasse non est. Id timeo, ne occurrat in Tractatu de Cambiis, nam dum legis, multos

Auctores citari pro approbantibus Cambium ad Nundinas expediendum à Correspondente Campforis, etiam pauperis, putas, citari item pro eo casu, quo non nisi per illud unum creditum ejusdem Campforis, modo à nobis explicato, & rejecto, expeditur. Prudentius igitur Delugo loco citato, cum aliquos Doctores afferat approbantes ejusmodi Cambium, signatè notat num. 77. illos docere, esse id licitum cum aliquibus moderationibus, inter quas profectò hæc, de qua hæctenus disputavimus, præcipuum locum tenere debet, ut scilicet habeatur alia pecunia, sive realiter, sive æquivalenter, præter ipsum unum creditum, quod est contra Campforium.

§. V.

Praxis, quoad eos, qui utuntur opera alterius, ad expedienda Cambia, & Recambia.

1. Posita jam nostra sententia, practicè omnino sibi scienda, sic, claritatis gratia, quotidianum casum proponamus, & dissolvamus.

2. Vidua, vel quilibet non Mercator dat viro indigenti v. gr. Cajo, centum aureos ad Cambium, sive Neapoli, sive Placentiæ, sive alibi solvendum; & quia neuter habet ibi Correspondentem, confugiunt ad hominem, v. g. nomine Antonium, hic Panormi existentem, qui habet in illis locis Correspondentem, seu Procuratorem nomine Sejum, & rogant, ut ipse Antonius acceptet, dirigatque dicti Cambii negotium. Annuit Antonius, format literas juxta formulas Cambii, & mittit ad suum dictum Correspondentem Sejum, idque nomine Viduæ, & Caji prædictorum sic volentium, qui Sejus acceptat, solvit, remittitque Recambium. Tunc autem, cum Antonius, cum Sejus licitè pro suis laboribus consuetas acquirunt provisiones. Potestne igitur sine injustitia, vel peccato adiri prædictus Antonius, quicumque tandem is sit, & quemcumque habeat Correspondentem?

3. Respondeo, esse benè ex prædictis distinguendum. Si enim Antonius, ejusque Correspondens sint viri locupletes, vel qui habeant alia contra alios credita, licitè, & justè ad eorum operam confugietur: sed injustè,

Cccc 3 & il-

& illicitè, si sint ita pauperes, ut non habeant alia credita, de quibus disponere possint, nisi illud illius Viduæ. Ratio ex proximè allatis ducenda est. Nam, si habeant pecuniam, vel alia credita, potest Correspondens in primo Cambio, & Antonius in Recambio, vel Recambiis (quæ subindè solent continuatè fieri) mutuare pecuniam Cajo, vel eandem dare ad Cambium eidem Cajo. Potest, inquam, & de facto dari: licet enim id à Mercatoribus explicitè non advertatur, cum tamen ipsi habeant intentionem expediendi Cambia, meliori modo, quod licitè possunt, tacitè mutant, vel dant ad Cambium, quando pecuniam, vel illa alia credita habentes, transferunt credita, & debita in libros rationum dati, & accepti. Verum, si dictus Antonius, & ejusque correspondens, nec pecuniam habent, nec prædicta alia credita, non possunt, nisi illud unicum creditum, quod habent vendere, vel dare mutuam ipsi debitori Cajo, vel ejus Procuratori, quod tamen non esse aptum, ad extinguendum primum Cambium jam s. præced. probatum est.

4. Quod si ponas, Antonium pauperem, & omninò ineptum, sed Sejum correspondentem divitem, seu modo dicto idoneum ad solvendum Cambium, tunc dico, posse justè, & licitè fieri primum Cambium, quod extinguere debet Sejus, qui habet, unde: sed non posse justè, & licitè fieri Recambium, quod debet extinguere Antonius, qui supponitur non habere, unde solvat.

5. Quoniam ergo, in nostris Regionibus, ex illis, qui hoc officium continuandi Cambia exercent, aliqui sunt locupletes, quales sunt Mercatores satis à nobis cogniti, qui Mercaturam exercent, unde, & præsumuntur habere alibi correspondentes, qui, vel ex se, vel ex ipsorum Mercatorum bonis apti sint: Aliqui vero sint satis Pauperes, qui, contra, præsumuntur, non nisi sibi similes habere correspondentes, idèd ego semper consilium dedi, ut probi Negotiatores ad Mercatores illos locupletes confugerent, solitas ipsis dantes provisiones pro tali continuatione; semper enim judicavi, illicitè, atque adeo cum onere restitutionis recurri ad pauperes illos continuatores, idque propter rationem jam dictam, quia sicuti Mercatores illi præsumuntur habere pecuniam aliam, vel alia credita, sic hi pauperes non habere, præsumuntur. Hinc etiam

sequitur, ut pauperes hi continuatores non possint justè accipere provisiones, cum nullam operam utilem exhibeant, dum ad nullum Cambium reale, vel solvendum, vel finiendum concurrunt. Ut interim taceam, non semel contigisse, hos continuatores infimæ notæ, ne literas misisse quidem, sed ad suum arbitrium domi conscripsisse, quas voluere: qua ratione illud Cambium siccum, & usurarium fuisse, vel cæcus videt.

6. Atque ex his etiam cognita nobis erit praxis, quam hic declarandam non multò ante promisi, qua ratione scilicet se gerat Vidua, & quicumque homo non magnæ litteraturæ, qui non cognoscunt tot conditiones, quot in Cambio justo intercurre debent. Dico enim prudenter, & sine rationabili scrupulo hos posse dare ad Cambium Mercatoribus locupletibus, nec manifestè malis, qui sub sua cura recipiant expedire ea, quæ sunt necessaria ad Cambium, & Recambium: & de hoc modo dicam clarius s. 7.

Dico item, te posse dare ad Cambium cui-libet, confugiendo tamen promittendis, remittendisque literis, non quidem ad illos inopes continuatores, sed ad prædictos Mercatores, qui hæc negotia Cambiorum exercere solent, quia sic prudenter præsumere potes, hos, ut expertos non errare, & ut bonos, nolle fallere in conditionibus necessariò ponendis, ac denique, ut divites, habere, unde Cambia prædictis duobus illis modis licitè solvant.

Dices. Delictum nunquam est præsumendum, ergo cur ergo debeam præsumere illos, quamvis inopes Continuatores delinquere, & injustam praxim solvendi cambia exercere: judicabo bonos, & bona fide ad eos, eorumque correspondentes confugiam.

7. Respondeo, Delictum nunquam est præsumendum, ut hominem ad aliquam poenam condemnem. At, ut meæ conscientiæ consulam, & ut certò, & justò titulo lucrum ex alienis pecuniis accipiam, debeo non sub dubio; sed certò Justitiam cognoscere, quæ certitudo hic, spectata illorum inopia, non adest. Et quidem magni momenti est prædicta ratio; non enim ego possum (ut alibi fufius dictum est) mihi sumere rem certò alienam, ab alio possessam, si dubitem esse meam, quia illi favet possessio: ergo, neque ego possum lucrum ex pecunia, quam alius certò, ut suam, possidet, mihi sumere, prætextu Cambii,

7. de quo dubito, an sit verum, & iustum, atque adeo, an adsit mihi verus titulus sumendi.

8. Respondeo Secundò, delictum non esse præsumendum in dubio, & quando non adest evidens conjectura delicti, at nunc videor satis prudenter dubitare, spectata paupertate dictorum Continuatorum, ipsos alia credita non habere, de quibus disponere possint.

9. Dico (de quo disponere possint) nam etiamsi habeant credita aliorum, qui pari modo ad ipsos confugerunt, si tamen eorum creditorum ipsi non sunt Domini, nec à Domino liberam habent potestatem, de iis disponendis, qua ratione ea credita valent aliis vendi, vel dari? certe nulliter dabuntur. Quod si eiusmodi Correspondentes, quamvis pauperes de prædictis aliorum creditis disponere ex Dominorum voluntate possent (quod in his pauperibus non est præsumendum) jam non essemus in casu, tunc enim jam alia credita haberent, quæ dare possent ad Cambium, vel mutuare, &c.

10. Denique propter hæc, & similia, viri timorati sanum illud consilium dant, ut in contractu Cambii, qui solet coram Notario celebrari, semper scribatur nominatim persona, quæ officium agit correspondentis, & in casu mutationis, ut Campsor obligetur mutationem Campsario notam facere, aliumque qui supponitur, nominare; nam hoc modo facile cognoscetur, an is aptus sit, ad prædictas necessarias translationes dati, & accepti, de quibus dictum est, peragendas.

§. VI.

De pactis, quæ solent apponi in Contractu Cambii.

Pactum de poena ex Mora.

1. Primum pactum solet esse, ut si Campsarius sit in Mora solvendi Cambium, idque sua culpa, teneatur solvere Campsori interesse lucri cessantis, & damni emergentis juxta legitimas regulas eiusmodi lucri, & damni. Quæres igitur, an licitum sit eiusmodi pactum?

Respondeo, esse licitum, ex *Lessio*, quia Campsor ex culpa aliena damnum pati non debet. Adverte tamen id, quod supra *b* mo-

nui, jam nunc id esse consuetum in praxi, ut Campsor ex conventionione cum Campsario suscipiat apud se curam solvendi, & finiendi Cambium, quare, hac conventionione posita, nihil ex prædicta Mora debetur Campsori, quia nulla culpa est in Campsario.

Pactum de obligatione ad Recambiendum.

2. Secundum pactum esse solet, ut, si elapso tempore solutionis, Campsarius sua culpa non solvit in loco conducto, quod debet, obligetur ad Recambiendum, id est, ad accipiendam eandem summam ad Recambium, quæ summam solvat primum Cambium. Quæres igitur, an id pactum sit iustum?

Respondeo, esse iustum, si ex eiusmodi Recambio Campsor tantum habeat, quantum verè ex Mora solvendi, ipse cessat de lucro; secus iustum non esset, quia esset onus superadditum. Ita *Lessius*, & *Recole* tamen iterum, c. *Lessius*, conventionem, quam modo recolui numero *lo. c. n. 85.* præcedente, qua scilicet Campsor suscipit sibi obligationem ad curandum de Recambio,

Pactum de continuando Cambio.

3. Tertium pactum esse solet, ut postquam literæ à correspondente redeunt, Placentia v. g. Panormi cum Recambio, si Campsarius pecuniam debitam numerato Panormi non solvat, intelligatur iterum fieri tertium Recambium, & sic continuare, &c. Quæres igitur, an hoc pactum sit iustum?

Respondeo, iustum esse pactum, si fiat de lucro, quantum Campsori cessat, vel quantum eidem emergit de damno, quantum nimirum acquisisset, si alteri dedisset suam pecuniam ad Cambium, vel deductis deducendis, alias negotiationes intrasset. Campsor enim non debet suis lucris privari ex culpa Campsarii. Dices, ergo nunquam hæc executio haberi poterit, & recuperari suum à Campsore: quia, semper Campsarius dicit se bene satisfacere per novum Cambium. Respondeo. Nego consequentiam: nam, ut colliges ex dictis §. 2. Campsor liberè celebrat novum Cambium; quare poterit illud non celebrare, & consequenter Recambium non facere, & sic poterit cogere Campsarium ad reddendam numerato Capitale, & lucrum inde acquisitum.

Pactum

Pañum de solvendo in eodem loco.

4. Quartum consuevit esse, ut non solvatur Cambium in loco, ubi destinatur solutio, sed omnino in eodem loco, ubi datur, v.g. in exemplis supra positis, non Placentiæ, sed Panormi. Quæres igitur, an hoc pactum sit iustum?

Respondeo, hoc pactum nimis clarè esse iniquum, quia destruit naturam contractus Cambii, ut satis dictum est supra, a quod *Supr. c. 4. §. 2. nu. 7.* men quasi in proprio loco hic, ubi de pactis *Et hoc c. 5.* agimus, fuit iterum recolendum. *§. 1. nu. 14.*

Pañum, ut pars soluta intelligatur de lucro.

5. Quintum pactum, ut non obligetur idem Campsor sumere partem pecuniæ, quam campfarius forte dabit campfiori, computando in capitale, sed possit dictus campfor computare in luca capitalis, seu cambii, donec omnia luca solvantur. Quæres ergo, an hoc pactum sit iustum?

Respondeo, affirmativè, quia, quando debetur radix, & fructus ex radice procedentes, solutio prior censetur facta pro fructibus, *Leg. prima C. de solutionibus*, immò, etiam si ejusmodi pactum non fieret explicitè, tamen saltem ex praxi communi, jam implicitè fieri semper illud intelligitur, ut notat *b Delugo*

b Delugo d. 28. de Iust. nu. 106.

Pañum de adjiciendo lucrum Sorti.

6. Sextum pactum esse solet, ut donec re ipsa, & numerata pecunia solvatur totum capitale, & luca, capitale secundi cambii, quod campfarius, seu ejus Procurator accipit à campfore, vel ejus Procuratore possit constare, non solum ex summa, quam campfarius accepit in loco, ubi primum cambium institutum est, sed etiam ex lucro talis cambii, & rursus, ut in tertio cambio idem fiat, & idem in quarto, & sic deinceps, uno verbo, ut superaddatur lucrum sorti, donec, ut dixi, totum capitale, & luca omnia numerario solvantur. Quæres igitur, An hoc pactum licitum sit?

7. Respondeo, licitum esse, ut habet *Delugo*, quia jam lucrum cedit campfiori, qui campfor potest ex eo constare summam capitalis ad suum libitum, & sic aliis dare ad cam-

c Delugo h. n. 102.

bium, quare non est ratio, cur non possit, simili modo, dare huic campfario. Illud advertit, id non procedere, si ab initio pactum institutum fuerit, ut solveretur interesse, & lucrum totum in sine totius cambii, tunc enim, cum nondum ejusmodi lucrum esset acquisitum, campfor, non posset ipse illud adicere sorti, ut per se patet, & idem *Delugo* notat.

d Delugo c. 5. §. 1. nu. 14.

Pañum de solvendis Provisionibus.

8. Septimum pactum esse solet, ut campfarius solvat Provisiones. Quæres igitur, an hoc pactum sit iustum?

Respondeo. Si pactum fiat, ut campfarius solvat ea, quæ debet ex opera, quam correspondens, vel quilibet alius suscipit pro ipso campfario, equum est pactum, ut patet. At iniquum erit, si fiat, ut idem campfarius obligetur solvere operam, quam dictus correspondens, vel quilibet alius suscipit pro campfore; hanc enim correspondens exigit ab eodem campfore cui servit, si alias stipendium non habet, non à campfario. In quatuor autem videtur correspondens suscipere laborem, & operam in gratiam campfarii, pro quibus dictis correspondens poterit suas provisiones legitimè taxatas, vel usu ipso approbatas à campfario accipere; Primum, quando nomine campfarii acceptat ejus literas Placentiæ.

Secundò, quando quærit, & invenit pecuniam ibi ad secundum cambium, ut primum solvat.

Tertiò, quando illud solvit. Quartò, quando literas ad campfarium remittit Panormi. Porro, ejus summae sint hæ provisiones diximus supra, & legi potest *Lessius*, qui pro more variorum locorum varia esse ejusmodi pretia erudite demonstrat.

b Delugo c. 5. §. 1. nu. 14.

Pañum de executione in personam. & bona Campfarii.

9. Octavum pactum solet fieri, ut, si non solva campfarius id, quod debet, intelligatur, non solum fieri novum cambium, & contiguari Recambii, ut modo n. 3. dictum est, sed etiam ut possit idem campfor in campfarii personam, ejusque bona legitimè executionem exercere, vel curare, ut in carcerem con-

iciatur,

jiciatur, &c. Id certè Notarii solent clausula notare. Et currentibus, vel non currentibus Cambiis, possit nihilominus is, qui dedit pecuniam cogere recipientem causando executionem contra ipsum, vel eum carcerando, &c. Quæres ergo, an hoc pactum sit justum?

Respondeo clarissimè injustum esse pactum. Ratio est, quia, si currunt cambia, & Recambia, jam campfor est per illa satisfactus: per recambium enim solvitur cambium præcedens, & per recambium secundum satisficit recambio primo, & sic de cæteris fortè consequentibus. Qua igitur Justitia campfor jam satisfactus poterit pro soluto debito campforarium compellere?

Pactum de dando Pignore.

10. Nonum pactum solet celebrari, ut campforius det Pignus, vel Fidejussorem, vel utrumque. Quæres ergo, an id sit justum?

Supra §. 1. au. 7.

Respondeo. Pactum hoc esse licitum, ac justum, memini me dixisse superius, a quia quilibet suum negotium exercere, quam securissimè potest. Ibidem tamen monui, injustum esse, si tunc velit campfor lucrari aliquid titulo periculi, quando enim pignus habet, periculo non substat, undè ergo ex hoc capite aliquid poterit exigere? In hoc igitur casu, quando accipit pignus, vel similem certam securitatem, ex aliis titulis lucrum accipere poterit; ut ibidem dictum est. Si campfor nolit pignus, sed ipse affecuret, accipiendum in se periculum, ut item, si apud correspondentem fidejubeat pro campforario, aliquid posse recipere, inuimus etiam superius, & videri potest Delugo. *b*

Delugo d. 23. de Inst. n. 124.

Pactum de pretio lucri.

11. Decimum pactum solet esse, ut detur lucrum cambii ad pretium fori, quod curret tempore solutionis, non vero ad pretium, quod fortè tunc currit, quando datur pecunia. Quæres igitur, an id sit justum?

Respondeo, si res est incerta pro æquali periculo campforarii, & campforis, dubium scilicet sit, an pretium decrescendum, an crescendum sit, justum esse pactum, quia par periculum; at, si certò sciat de incremento, vel decremento, vel totum pactum sit in favorem campforis, injustum esset, quia tunc, vel esset

Tamburinus de Sacramentis.

injustitia pro alterutra parte; vel, nimis supra meritum, favoreceretur campfori.]

Pactum de accipiendi Correspondente.

12. Undecimum denique est, ut campforius obligetur acceptare pro suo correspondente eundem, qui est correspondens campforis, sed de hoc dictum est satis supra.

c. Sup. §. 2. n. 3. Et §. 5. num. 4.

§. VII.

De Vsu Cambiendi per alium.

1. Duplici id modo consuevit usurpari: Primò, si tu, quicumque sis, sive vidua, sive pupillus, uno verbo non Mercator, des immediatè tuas pecunias ad cambium alicui item non Mercatori, & ex utriusq; consensu conveniatis, sive Mercatorem aliquem, sive continuatorem, ut supra vocavimus, cambiorum, qui vobis provideat de correspondente in loco distante, in quo solvendum est cambium. Correspondens vero acceptet, scribat, omniaq; absolvat, & de hoc modo sufficienter diximus §. quinto n. 6.

Secundò, si tu quicumque item sis, des Titio Mercatori, seu campfori tuas pecunias, ut ipse, cum tuo moderato lucro, & suis consuetis provisionibus, illas tradat ad cambium fortè petentibus: quare tu nihil agas, sed solum contribuas pecuniam; ipse autem Mercator tanquam tuus socius, cambia, & recambia instituat, finiatque. De hoc posteriore modo hic breviter agendum erit.

2. Dico Primò, certum est (sunt verba Joannis a Delugo) peccare eos, qui dant pecunias suas campforibus, ut lucrentur per cambia, & participent de lucro, si sciant, vel timeant, campforem daturum esse ad cambia illicita, & Usuraria; secus, quando credant non nisi ad cambia licita daturum. Hæc ille. Nota illud (si timeant) utique rationabiliter; id, quod consumat ea, quæ dicta sunt paulò ante §. quinto de cambientibus per pauperes illos continuatores, &c. Posita autem Idoneitate Mercatoris.

Delugo d. 28. de Inst. n. 130.

3. Dico Secundò. Ut facilius suum etiam determinatum lucrum sine scrupulo, & certò habeas, quando per socium, quasi per mediatorem exercere vis cambium, securus erit modus, si cum dicto Mercatore tres contractus

D d d d (qui

(qui possunt sanè fieri, sive in una, sive in pluribus Scripturis) in eas: In primo celebres contractum Societatis, in quo tute obligas tantam pecuniam exponere, ille suam industriam confert (de hoc contractu Societatis suo loco latè agemus inferius) In Secundo, ille se obliget, ad assecurandum tibi capitale. In Tertio, ille idem se obliget, ad assecurandum tibi aliquod moderatum lucrum; pro his tamen oneribus in Secundo, & Tertio contractu impositis Mercatori, dabis ipsi aliquam moderatam Mercedem. Ex figuratone casus res fiet clarior. Tu centum v. g. aureos exponis Societati, Mercator, seu socius promittit, se eos negotiaturum per annum, dando illos ad legitima cambia, & recambia. Suppone autem, quod Iudicio prudentis viri in prædictis recambiis sint acquirendi ex lucro, aurei triginta, rectè ex vi primi contractus, qui est pura Societatis, ex hoc lucro tibi cedunt quindecim aurei, quindecim vero cedent Mercatori socio. At vero pro Secundo, & Tertio contractu, per quos Mercator tibi assecurat dictum capitale, ceterum aureorum, & aliquod determinatum lucrum, debet idem Mercator aliquid habere pro hac assecuratione, quã pro te suscipit. Habeat ergo aureos quinque, quos retinebit sibi ex lucro quindecim aureorum, qui tibi cedere debebant vi primi contractus Societatis, nam hinc fiet, ut tu deniq; habeas securum tuum capitale, & aureos decem de lucro, ille vero habeat aureos viginti.

4. Hunc modum negotiandi esse licitum, ex eo patet, quod singuli illi contractus seorsim celebrati liciti sunt, ergo etiam, & unitim, quia unio non mutat, unde, nec vitiat naturam contractus, ut fufius probabitur in citato Tractatu de Contractu Societatis.

5. Quod autem etiam hic possit accipi in majorem tuam securitatem pignus, probat eadem ratio, quam supra §. 6. n. 10. diximus, & in hoc casu, de quo hic loquimur, signatè, concedit Delugo. *a*

6. Præterea quantum sit hoc lucrum, quod tibi tandem cedere debeat melius Mercatores sine fraude negotiantes decernere debent omnibus circumstantiis expensis, quam possimus nos Theologi. Et merito quidem Molina *b* notavit, in his negotiis stari debere praxi Mercatorum, quia melius ipsi noverunt Justitiam pretii in cambio, quam Theologi. Maxime autem ad id decernendum, valet, si utrique

Socio comodum sit in tali Negotiatione tale pretium. Nam illa est æstimatio recta (ait in simili Valentia *c*) quæ est prudens, & ea est prudens, quæ utrique parti comoda est. In *d. l. q. 2. p. 2. v. intellige, in negotiatione dicta ex se iusta.*

Denique quatuor consideranda hic esse, præter Regulas generales, ad determinandum ab ipsis Mercatoribus dictum lucrum ex cambio, rectè admonent Theologi.

7. Primò, ut assecuratio capitalis non debeat magni, sed moderatè æstimari. Ratio est, quia Mercator non solet dare illas pecunias à te cambio expòstas, nisi personis securis; Sed, quia adest nihilominus aliquod periculum, quod illæ eadem personæ, vel sint Infideles, vel decoquant, idèd aliqua mercede dignus omnino erit.

8. Secundo lucrum, quod speratur futurum ex tali pecunia, non sumatur summum, nec infimum, sed medium; cum non sit major ratio, quod futurum sit summum, vel infimum, unde æquitas dicitur, ut sumatur medium. Et profectò ab experto, & probo viro non aliud, quam medium decerni solet. Vide, quæ dicam, mox n. 13. & 14.

9. Tertio, debet perpendi etiam labor, & industria correspondentium, quibus debetur, sua provisio, ut omnibus prudenter consideratis, quantum lucri ex expòsta pecunia superfit, mensuretur.

10. Quarto, quia hæc conventio per dictos tres contractus, quæ certè fieri potest, non solum cum Mercatore ad exercenda cambia, de quibus hic agimus, sed etiam cum quocunq; negotiorum gestore, vel artifice, vel professore cujuscunq; officii, de quibus agemus suo loco in citato Tractatu de Societate, idèd universaliter docent Theologi, quantum debeat esse ejusmodi lucrum, colligi debere ex natura negotiationis, ex gravioribus periculis, quæ timeri possunt, ex majoribus, vel minoribus expensis, & breviter ex variis variorum negotiorum circumstantiis, plus enim lucratur quis, si det operam emendo, vendendoque siumento, quam vino, quam panis, quam lignis, & c. plura pericula, si extra Regnum, quam in Regno agatur negotium, majores expensæ, si conducendæ sint naves pro longiore navigatione ad transportandas Mercas, quam pro breviori, & c. Nam propterea rectè Bonacina, *d* cum supposuisset, posse licitè exposci pro lucro quinque pro centum, ad-

a Delug. d. 30. d. iust. n. 51.

b Mol. d. 307. allatus à Delugo d. 28. de iust. n. 5.

d Bonacina d. de contr. q. 37. n. 11. Et didit

didit n. 6. In conventionem trium contractuum posse plus exigi, quo negotiatio majorem fructum afferit. Scortia autem supponit, tum in cambiis, tum in aliis negotiis posse, per hos tres contractus, pro singulis centenariis capitalis, acquiri sex ob lucrum; sed certe id loco exempli dixit, nam ceterum, si negotiatio ejus est conditionis, ut plus lucri pariat, cur plus lucri acquiri non possit, quod si ejus est conditionis, ut pariat minus lucri, qua tu fronte plus lucri corraderet, non dubitas?

11. Ex his igitur universaliter dictis collige, idem esse considerandum in casu nostro. siquidem cambii lucra pro locis distantibus, vel propinquis, pro civitatibus, ubi adest pecuniarum copia, vel inopia, pro variis aliis circumstantiis majoris, vel minoris pretii pecuniarum, cambii, inquam, lucra majora esse possunt, vel minora, & juxta has circumstantias, demptisque iis, quae demi pro Provisionibus solent, sunt mensuranda, sive ad quinque, vel ad decem pro centum, sive ad minus, vel majus, &c. Et ita observant ad unguem probi Negotiatores; nam in Nundinis supradictis taxari solent cambiorum pretia consideratis praedictis omnibus circumstantiis, unde videmus, non semper idem constans esse lucrum, ut, vel mediocriter experti in hac negotiatione probe callent.

Praxis trium contractuum in Cambiis.

12. His itaque quasi theoreticè explicatis, ad praxim horum trium contractuum exhibendam in cambiis, maximè faciet, si formulam hic legas, qua solent Negotiatores Genoveses illos usurpare, eam autem ponit ad verbum idem Scortia loc. cit.

Contractus hujusmodi (inquit) est frequentissimus, & admittitur, ut justus, a confessoris, tam in cambiis, quam in aliis negotiationibus, sub hac, vel simili forma.

Io Titio in virtute di questa dico, hauer ricevuto in Cartolario 25. di argento da voi Sempronio scudi diecimila, quali prometto, e mi obbligo negoziar sopra Cambii reali delle fiere di Piacenza, o di quei lochi, done per la natione nostra, si faranno dette fiere, per Melano v. g. ad utile vostro, sotto mio nome, rischio, pericolo, e spese per un anno, cominciato in pagamenti di Agosto di questo anno, e da finire in pagamenti d' Agosto del seguente 1621. Al qual tempo prometto, e mi obbligo, restituire detti dieci mila scudi con tutti li

guadagni, e beneficii, che sopra essi faranno fatti. Il qual pagamento però si fara in quella qualita di moneta d' argento, o d' oro, che all' hora si pagheranno li cambi di dette fiere: obligando per cio mia persona, e beni sotto hypotheca. Dichiarando, che per il sudetto tempo, e quello di più, che restassero detti denari appresso di me, habbi da pagare a voi Sempronio, per conto di detti guadagni, e utili, a ragione solamente di sei per cento v. g. l'anno, essendosi così convenute che tutto quello, che potesse essere di più delli sei per cento, netti di ogni spesa spetti a me per la sudetta promessa, che faccio di negoziarli, o fare negoziare sopra cambii a detto mio rischio, pericolo, e spesa. E quando reudessero meno delli detti sei per cento l'anno, senza contarli spesa alcuna, ragionando li cambii, come saranno li conti, cioè a Milano per fiera, e in fiera per Milano, s'intenda non hauerio da pagare, se non quel tanto hauessero risposto, o risposto desiro, che così habbiamo accordato, e per fede ho firmato di mia mano, &c.

13. Haec Scortia. In hac autem ultima clausula, in qua decernitur, si lucrum non ascendat ad sex pro centum, sed sit minus, minus esse solvendum, ponitur, & servatur in hac formula, ad majorem securitatem conscientiae, nam ceterum, si sincere, omnibus expensis, est aequale dubium, ut lucrum futurum sit majus, vel minus, prudenterq; sine furo, & fallacia antea decernatur medium quid certum, v. g. dicta sex, semper poterunt sex accipi, ut paulò superius b innui; & in simili docui lib. 8. in Decalog.

14. Apud nostrates negotiatores solet hoc lucrum cambii, non quidem in initio ipso, quo celebratur cambium, sed postea, quando finitur, decerni, nam tunc certò scitur ex continua relatione, quam solent habere Mercatores, quanti valuit lucrum in loco solutionis cambii, & secundum illud, dempti demendis, statuitur, quantum remaneat pro eo, qui in initio pecuniam subministravit. Illud aliqui ex iisdem, qui pecuniam exponunt, ad majorem conscientiae quietem, addunt, modo lucrum non excedat ad rationem decem pro centum. Si enim excedat, hi timorati expositores nolunt illud excessum exigere, sed relinquunt in utilitatem praedicti Socii, seu Mercatoris.

Hactenus de cambiis, nunc elanguentibus, ex aeterno calore, viribus, non nihil quietis defesso calamo concedamus.

FINIS TRACTATUS TERTII.

Dddd 2

TRA-

b Supra §.

1. n. 19.

c Lib. 8.

Decal. Tr.

3. §. 7. n. 2.